



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-315297727-16

DFG



7.  
1771.20. 2  
QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

AN.

CONVENTIO CVM  
COLONO PARTIARIO PRO  
ARBITRIO POSSIT  
REVOCARI

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAE S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE IX. MARTII ANNO CIOIOCCLXXI.

DEFENDET

FRIDERICVS WILHELMVS LANGE

TORGAVIENSIS.

LIPSIAE  
LITERIS RVM PFIIS.



LIBRARY OF THE  
MUSEUM OF ANTIQUITIES  
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES  
1940

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES  
1940



AN  
CONVENTIO CVM  
COLONO PARTIARIO  
PRO ARBITRIO POSSIT REVOCARI.

---

§. I.

Dubium non videtur, veram non esse *locationem*  
*conductionem*, quae ita sit, non ut merces  
soluantur, sed ut fructuum pars fundi do-  
mino praestetur ab eo, qui culturam fundi, vel rei in se  
suscepit, quem *colonum partiarium* vocant. Sicuti enim  
a partiendo dictus, ita is partiarius colonus dicitur, qui

A 2

rem

rem rusticam colendam suscipit pro communi lucro et  
communi damno. Variis nominibus compellatur. Grae-  
ci μοιχηνα vocant, nostris dieitur *Ein Halbbauer, Falß-*  
*bauer, Irregularē locationē putat MENKENIUS in Theor.*  
*et Praxi ff. L. XIX. T. II. §. 3.* conuentionem inter do-  
minum et colonum partiariū initam. Sed cum ab  
essentialib⁹ iudicandum sit negotium, et essentiale v-  
num scilicet merces vera deficiat, vix locatio dici pote-  
rit, vt adeo nec irregularis locatio esse possit. Alii  
contra, nescio, quod mixtum negotium exinde confi-  
ciunt ex locatione et societate, vt *LAVTERBACH diff.*  
*de colono partiario,* cui adsentit *BOEHMERVS in Doctr.*  
*Pandect. L. XIX. Tit. II. §. 9.* sed nolle tunc mixtu-  
ram statuere quoties ex simplici causa explicatio fieri  
potest. Quare et ipse Boekmerus actionem *praescriptis*  
*verbis* adserit dandam, vt magis videatur negotium *in-*  
*nominatum* esse. Sed neque rectum mihi hoc videtur,  
quippe ex eo, quod mixtura inter societatem et loca-  
tionem intercedat, non sit innominatum negotium, quod  
pro-

mei

S I G R

3

propriam formulam habet, quae fundamentum sit actionis praescriptis verbis.

Non ignoratur haec conuentio Iure Romano. Author est CAIVS in L. 25. ff. locat. conduct. Nescio tamen an idem negotium quaerendum apud AFRICANVM in L. 35. §. 1. in f. ff. eod. Scripserat. Quod ipsum simplicius ita quaeremus, si proponatur inter duos, qui singulos, proprios fundos haberent, conuenisse, ut alter alterius ita conductum haberent, ut fructus mercedis nomine persqretur. Sed quidquid sit, hoc sane certum est, conuentione cum colono partiario veram esse societatem. Nam sicut societas recte initur, cum unus conferat rem, alter in commune operas, ita in hac conuentione unus fundum in societatem confert, alter vero operas in eo colendo. Hinc scripserat etiam CAIVS c. l. alioquin partiarius colonus; quasi societatis iure et damnum et lucrum cum domino fundi partitur. Neque particula quasi argumentum non



strum turbabit. Quamuis enim haec particula impro-  
prietatem et comparationem interdum denotet; ut in  
quasi vſuſruſtu, quasi maleſiciis, quasi traditione; ta-  
men hic significatus huic particulae apud *Caium* dari  
nequit. Non enim comparatirūſ erat negotium colo-  
ni partiarii, ſed decisurus quaſtione, quis dannoſum  
ex maiori vi ſeu fatele in locatione ferat, et poſtquam  
a maiori illo danno liberauerat colonum ſeu conduetō-  
rem fundi rūſtici, diſtinguit eum a colono partiario  
verbis: alioquin colonus partiarius, et iam decidit, *quasi*  
*et dannoſum et lucrum cum fundi domino ſocietatis iure parti-*  
*tur.* Neque hic significatus infrequens in iure eſſe  
videtur. Forſan apud *VLPIANVM* in L. 63. §. 5. Pro  
ſocio, idem significatus particulae *quasi* deprehenditur  
verbis: *quasi iniquum ſit, ex eadem ſocietate aliud plus,*  
*aliud minus conſequi.*

### §. III.

Non de omni iure conuentioneſ inter fundi domi-  
num atque colonum partiarium agendum, quippe ſae-  
pius

pius contingit, ut circa naturalia contractus iustis im-  
mutationes inter contrahentes comprobentur. Nos de  
eo tantum dicamus, quid ex ciuilibus praeceptis in hac  
conuentione iuris sit. Primaria itaque quaestio accu-  
rate definienda ea est, vtrum locatio sit et secundum  
iura de locationibus scripta iudicanda nostra conuentio,  
an vero societas, vt ex illius praeceptis decisio petenda,  
an demum contractus innominatus. Hac quaestione de-  
cisa, causa accurate decidi poterit, quid iuris, partim quo  
ad continuationem obligationis, partim quo ad reliquas  
obligationes. Parum sibi et constans est magnus CIVACIVS,  
qui in Recitat. ad Tit. C. de loc. cond. in L. 5. negat esse locatio-  
nem, potius ad societatem refert. Sed in Tract. ad Afric. ad  
L. 35. ff. locaii mutauit sententiam atque adnumeravit colo-  
num partiarium conductoribus, adiecta ea cautione, si con-  
trahendae locationis animus fuerit et certa fructuum quantitas  
constituta, in partes suas aduocato PLINIO qui scrip-  
ferat: Non nummo, sed partibus locavi. Notauit ob hanc di-  
uersitatem eundem Chr. MERILLIUS Variant. ex Cuiac.

L. I.



*L. i. Cap. XXIV.* Sed Plinii autoritate non vterer, quippe vocabulo *locui* usus fuerat forsan ex populari loquendi ratione, non ex artis rationibus. Dein re accurate perspecta, putauerim Cuiacium in Recitationibus regulam, in Tr. ad Africanum exceptionem potius scripsisse.

§. IV.

Locationem veram contrahere posse conduceorem, qui certam fructuum quantitatem praestat, conicere licet ex *L. 35. all.* in verbis: *ut fructus mercedis nomine pensaretur.* Nam *fructus* pensaretur forsan indicat, non primariam fuisse conventionem, sed mercedem constitutam, cuius nomine fructus pensare debebat conductor. Ast non est is colonus partarius, quippe fructibus compensat mercedem, et magis de colono intelligenda lex, quise obligauerat ad fructus praestandos in solutum nomine mercedis constitutae. Et recte ergo Cuiacius putauerat, respiciendum ad animum contrahendae locatio-

nis,



nis, qui animus semper apparere debebat ex mercede  
constituta, solienda per fructus. Non enim potui a  
me impetrare, ut Cuiacium accusem, quasi crediderit,  
fuisse liberum paciscentibus ac contrahentibus, essentialia  
contra*c*tus mutare. Essentialia locationis erant  
praeter *consensum*, *res vel operas*, merces. Quis enim  
concluderet recte, esse in arbitrio emtoris et vendoris,  
ut possint animo emendi vendendique celebrare per-  
mutationem re pro re data non interueniente pretio.  
At valet argumentum ab emtione ad locationem. Iam  
vero, qui agrum colit, loco mercedis et eius nomine  
praestita certa fructuum quantitate, verus conductor  
seu colonus est. Hinc et ob sterilitatem mercedis re-  
missionem petere potest, imo a locatore ante tempus loca-  
tioni praefinitum expelli nequit. Paucis! quae de con-  
ductore in genere adfirmantur, etiam de hoc colono  
dicenda sunt.

At vero si colonum partiariū dicimus, eum intelligimus, qui partem frugum vel fructuum indeterminatae quantitatis infert domino fundi, hicque verus socius est, neque opus, ut vel innominatum contraactum statuamus, nec admixtum quid admittamus ex doctrina de locatione. Res enim in commune confertur et operaे in societate, neque in ea requiritur, ut ipsa res communis fiat, sed ideo communicantur, ut lucrum commune percipient atque simul damnum ferant socii, quod patet in communione aquaeclus seu societate generali, in qua non ipsae res communes sunt, sed lucrum ex iis. Hinc si consentit dominus, ut communes sint frumentus ex suo fundo, in quem confert colonus operas atque labores, et in fructibus simul aequale ferant damnum, socii sunt et colonus partiarius et fundi dominus.

## §. VI.

Consequimur inde in iudicandis obligationibus et iuribus coloni partiarii et ipsius fundi domini rationes petendas esse ex materia societatis. Hinc si de quaestione iudicium ferendum, quam diligentiam praestare debeat colonus, utrum boni patris familias, an vero sufficiat tanta diligentia, quantam in suis rebus adhibere solet colonus partiarius, respiciendum erit ad iura societatis. Si enim locatio vera esset, colonus teneatur ad leuem culpam praestandam. Cum vero ad societatem illa conuentio referenda, verius est, colonum partiarium tantum culpam praestare in concreto ut vocant, seu ad tantam diligentiam obligari, quantam in suis rebus adhibere solet. Confirmat me in hac opinione CAIVS in L. 25. ff. loc. cond. Ait: *Colonus partiarius quasi SOCIETATIS IVRE et DAMNVM et lucrum cum domino fundi partitur.* Quum itaque Societatis

B 2

iure



iure damnum partitur, in societate vero *culpa in concreto* praestat, quoties de damno restituendo agitur, recte infertur, si colonus partiarius in rebus suis exactissimam soleat adhibere diligentiam atque Euclionem sese gerere, eundem in colendo fundo non minorem curam atque diligentiam adhibere debere. Contra dubitandum non est, si negligens sit colonus partiarius in suis rebus, iure societatis eundem non posse ad maiorem curam et diligentiam compelli, sed sufficere, si in colendo agro illo sese aequae negligentem gerat.

§. VII.

Quae cum ita sint, facilior erit causae decisio: *an contrahentes inter se possint pro arbitrio recedere a contractu, ita, ut liceat domino fundi recipere fundum atque ipsum colonum partiarium pellere fundo. Si obligatio coloni partiarii*

tiarii ex iure locationis atque condicione iudicanda  
esset, pateret statim, pro arbitrio non reuocari posse  
contraeatum, maxime si locationi tempus praescriptum  
sit, sed praescriptum tempus seruandum esse. At ve-  
ro, cum damnum societatis iure partiendum, et sic ipsa  
conuentio ex societatis iure iudicanda, dubium non  
est, et colonum partiarium et fundi dominum recedere  
posse ab contractu. Nam cum in societate cuius socio  
liberum sit ad diuidendam tollendamque ipsam societatem  
et lucra prouocare; quid obstat, quominus idem liceat  
domino fundi, imo colono partiaro. Quis enim impu-  
tabit domino, qui cum prouidum satis atque diligen-  
tem patrem familias deprehendisse in colono partiaro  
arbitratus fuerat, si experientia postea edocetus sit, pa-  
rum prouidum et multo negligentem eundem esse, si  
suis commodis prospiciat, atque, ne in lucro capiendo,  
cum maiores fructus habere posset, pauciores vero per-

B 3

cipiat,

cipiat, amplius detrimentum patiatur, ad diuisiōnem societatis prouocet. Quod si enim damnum partiri debet, fert pro rata damnum. Iam cum CCC modios recte colendo agrum habere dominus potuisset, quod negligens soleat esse colonus, CL tantum accipiat, negligentia coloni damnum sentit, CL modiorum, et cum ad maiorem diligentiam non teneatur colonus, cum ex societatis iure damnum ferendum sit, nihil a colono postulabit iure dominus, cum tantam p̄raestiterit diligentiam, quantam solebat adhibere in rebus suis. Habet et hoc causam in eo. Cum enim dominus consentiat, ut dimidia vel tertia fructuum parte velit esse contentus, absque dubio bonum patrem familias in colono expectat: Iam vero cum haud raro soleant homines alii videri, quam qui vere sunt, ut facile potuerit dici frugalitatis specie ipse dominus, qui cum colono conuenerat; facile patet, cum Romani perfe-

litis

Etiam

Etiam ad societatem initam continuandam haud imponerent obligationem sociis, et in nostro negotio liere domino, tollere societatem. Neque id negandum videbitur colono. Si enim experiatur, plus sibi laboris atque sumtuum impendendum fore, quam quantum pro rata lucrum ferat, iniustum foret, cogere eundem, ut continuet societatem, quae ipsi damnoſa effet. Concludo amplius, quamvis utriusque ad tempus renuncianterint libertati recedendi a societate, posse tamen, non obſtante renunciatione, utrumque recedere a conuentione; ita enim iuris est in societate. Sed ſicut tempeſtive, nec dolo illa renunciatio societatis fieri debeat, facile etiam illa quaefio dicidi poterit, quid de pendibus fructibus ſentiendum. Non excitabo litem, quam contra THEOPHILUM mouerat MERILLIVS  
*Obſerv. L. VIII. Cap. XXVI.* Satis est ex argumento generali concludere, colonum quidem fructuum

ante





ante perceptionem dominum non esse, sed communes  
adhuc esse. Inde ipsa renunciatione societatis effici-  
tur, vt nihilominus fructus postea, si percipientur, diui-  
dendi sint, quippe intempestiva et damnosa tunc esset  
renunciatio. Cessabit ergo in futurum obligatio in-  
ter colonum partiarium atque dominum, salvo eo iure,  
vt prius diuidantur lucra et damna in fructibus adhuc  
pendentibus, si postea percipientur.



**ULB Halle**  
008 558 760

3



W78



7. 1771.20. 2

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**CONVENTIO CVM  
COLONO PARTIARIO PRO  
ARBITRIO POSSIT  
REVOCARI**

R. 257.  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE



LITERIS RVMPEIIS.

UNIVERSITATIS  
ZVHALLE